Videat dominus Regens

Morbio
26 (106)

Iulius Antonius miseratione divina tituli sancti Bartholomei in Insula presbiter Cardinalis. Discreto viro Confessori ex approbatis ab Ordinario per Latricem presentium ad infrascripta specialiter eligendo Salutem in Domino. Ex parte Latricis nobis oblata petitio continebat. Quod ipsa alias in quadam infirmitate constituta religionem ingredi Deo simpliciter vovit. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat, Latrix predicta sit pauper, nec eleemosynam sufficientem ad religionem ingrediendum habeat et ob stimulos carnis quos sentit, continenter vivere posse non speret, pro sue conscientie quiete cupit votum huiusmodi sibi ad effectum contrahendi matrimonium in alia pietatis opera per Sedem apostolicam commutari. Quare supplicari fecit humiliter sibi super his de opportuno remedio misericorditer provideri. Nos igitur qui Penitentiarie domini pape curam gerimus huiusmodi supplicationibus inclinati auctoritate apostolica speciali, et expresse previa consultatione nobis concessa, Discretioni tue committimus quatenus si diligenti habita perquisitione inveneris ita esse, et eandem Latricem adeo pauperem ut eleemosynam, quam pro suis alimentis det pro ingrediendo religionem non habeat nec spem esse de proximo quod illam honeste acquirere possit, et sine ea non recipi, et si in seculo maneat, periculum esse incontinentie, eidem Latrici votum predictum adhuc ut matrimonium semel duntaxat legitime contrahere possit, dispensando commutes in frequentiam sacramentalis confessionis peccatorum suorum singulis saltem mensibus semel, vel quoties tibi videbitur, et in alia tunc opera pietatis iniungenda arbitrio tuo duratura, quo diu commutationi predicte locus erit, interque sint et aliqua religionis opera, que quotidie facere teneatur ad eum finem ut per illa meminisse semper possit obligationis qua huiusmodi voto astringebatur prout secundum Deum et anime sue saluti expedire videris, et cum eadem ut matrimonium sic contrahere, et in eo postmodum remanere, ac debitum coniugale petere, et reddere licite valeat, misericorditer dispenses in foro conscientie tantum. Ita quod si viro cui coniungetur, supervixerit, vivat postea celebs, et in castitate ut prius eodem voto obligata ut prius. Quod si iterum contraxerit, et consummaverit matrimonium, aut unquam extra matrimonium fornicata fuerit, sciat se contra votum egisse, et ita illam admoneas. Datum Rome apud Sanctumpetrum sub sigillo Officii Penitentiarie Quarto Idus Novembris Pontificatus Domini Clementis pape VIII Anno Tertio

A. de Sto Petro

Gratis ubique B. Paulinus Sigill.

1599 10/XI

Discreto viro Confessori ex approbatis ab Ordinario per latricem presentium ad infrascripta specialiter eligendo

D. 17

Gratis pro Deo B. Paulinus Sigill.

Voti dispensatio

P. Magius.

Fantera

Morbio 26 (106)